

11.

Infra hebdomadam I. Quadragesime. Ad Vesperas.

1. Audi benigne conditor  
Nostras preces cum fletibus  
In hoc sacro ieiunio  
Fusas quadragenario.
2. Scrutator alme cordium,  
Infirma tu scis virium,  
Ad te reversis exhibe,  
Remissionis gratiam.
3. Multum quidem peccavimus,  
Sed parce confitentibus,  
Ad laudem tui nominis  
Confer medelam languidis :
4. Sic corpus extra conteri,  
Dona per abstinentiam  
Ieiunet ut mens sobria,  
A labe prorsus criminum.
5. Presta beata trinitas,  
Concede simplex unitas,  
Ut fructuosa sint tuis,  
Ieiuniorum munera. Amen.